

Tentamen medicum inaugurale, de Scarlatina cynanchica : quod, sub moderamine viri admodum Reverendi Johannis Ewing, S.S.T.P. Universitatis Pennsylvaniae praefecti ; ex curatorum perillustrium auctoritate, nec non amplissimae facultatis decreto, deo maximo annuente, pro gradu doctoris summisque in medicina honoribus et privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjectam sustinuit Nicolaus Baker Waters, M.B. Pennsylvaniae, Soc. Medic. American. Soc. Honorar. Ad Diem 30 Julii, hora locoque solitis.

Contributors

Waters, Nicholas Baker, 1764-1796.

Young, William, 1755-1829

Morgan, John, 1735-1789

Coxe, John Redman, 1773-1864

University of Pennsylvania.

National Library of Medicine (U.S.)

Publication/Creation

Philadaelphiae : Typis Gulielmi Young, MDCCLXXXVIII [1788]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mvm55jbs>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the National Library of Medicine (U.S.), through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the National Library of Medicine (U.S.) where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





UNITED STATES OF AMERICA



FOUNDED 1836


WASHINGTON, D.C.







1634



1634

STUDY IN MEDICINE

Dr John Macdonald

to the Honorable Secretary of the
of the

Dr. John Morgan

with the Respectfull Compliments
of the Author.

TENTAMEN MEDICUM

I N A U G U R A L E,

D E

SCARLATINA CYNANCHICA,

Q U O D,

SUB MODERAMINE VIRI ADMODUM REVERENDI

JOHANNIS EWING, S. S. T. P.

UNIVERSITATIS PENNSYLVANIENSIS PRÆFECTI;

EX CURATORUM PERILLUSTRIUM auctoritate,

N E C N O N

AMPLISSIMÆ FACULTATIS DECRETO,

DEO MAXIMO ANNUENTE,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJECTAM SUSTINUIT

NICOLAUS BAKER WATERS, M. B.

PENNSYLVANIENSIS,

SOC. MEDIC. AMERICAN. SOC. HONORAR.

AD DIEM 30 JULII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

*On ne doit admettre en Médecine, que des Principes aussi surs que
les choses dont les Sens nous-demonstrent l'evidence.*

SAUVAGES.

PHILADELPHIÆ:

TYPIS GULIELMI YOUNG.

M.DCC.LXXXVIII.

John Rushman Esq



TENTH YEAR MEDICUM

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DEPARTMENT OF MEDICINE

JOHN WALTER WALKER, M.D.

PROFESSOR OF MEDICINE
AND GRADUATE DOCTOR

NICHOLAS BAKER WALKER, M.D.

SOC. MEDIC. AMERIC. 1887

AD BAK SOLVIT, VERA SOLVIT SOLVIT

PHILADELPHIA

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILADELPHIA

1887

VIRIS HONORATISSIMIS,
ARMIGERO
DAVID RITTENHOUSE, A. M.

SOCIETATIS PHILOSOPH. AMERIC. PRO-PRÆSIDI,
UNIVERSITATIS PENNSYLVAN. E CURATORIBUS
Artium Mechanicarum Scientiarumque, Astronomiæ præ-
cipue, fama admodum perito,

REIPUBLICÆ THESAURARIO INTEGERRIMO,

OB INGENIUM PRÆCELLENS VIRTUTESQUE EGREGIAS
ADMIRATIONEM AMOREMQUE OMNIUM QUIBUSCUM
VERSATUR ADEPTO ;

JOHANNI MORGAN, M. D.

Societ. Regal. Londin.

Colleg. Medicor. Edinburg. et Philad. Sodali,

Nec non

Londini Permiffo,

Theoriæ et Praxeos Medecinæ in Universit. Profefiori,

Cujus maxima eruditio et animi vis

Merito

Summos Medecinæ honores in Europa et America

Conciliaverunt ;

NEC NON

GULIELMO W. SMITH, M. B.

SOCIETAT. PHILOSOPH. AMERIC. SOC.

E T

COLLEG. MEDICOR. PHILADELPH. SODALI,

PRÆCEPTORI OLIM ADMODUM COLEND O;

DENIQUE

AVUNCULO SUO CHARISSIMO

GULIELMO BAKER,

MARYLANDIÆ,

Medico Præstantissimo,

Suo primis Medicinæ elementis Instructori dignissimo;

Grati Animi Tesseram,

Ob plurima beneficia et amicitiae testimonia,

Has Medicinæ Primitias

DICARE VOLUIT

AUCTOR

TENTAMEN MEDICUM

I N A U G U R A L E.

HUJUS almæ matris legibus obtemperaturus, quæ omnibus honores medicinæ ambientibus, curriculo studiorum academicorum rite peracto, exigit, prælectiones professorum singulas coluisse, et Philosophia naturali et Pharmaceutices scientia prius satis esse versatos, comprobasse, quam primum gradum nempe baccalaurelem consecuturos; deinde, per spatium debitum ad doctrinam promovendam, studiis incubuisse, et specimen aliquod studiorum publici juris facere, ut gradu doctoratus magis honorando merito dignarentur, de Scarlatina cynanchica differere volui; sed, prorsus inexpertus in publicum opera edendi, scriptorem sollicitus ago—mos enim id postulat. Ideoque non sine aliquo timore, hoc mihi arduum opus, eo quo par est obsequio, innixus benevolentix eruditorum, si non laudes, saltem liberiorum artium gnaris veniam me impetraturum spero.

Ad formam dissertationum usitatiorem minus advertens, quæ visa est optima, elegi. Parum de modo quo causæ & remedia effectus edunt dixi, quatenus plerum-

que vel maxime ingenuos viros latente—Culpæ mihi non vertetur, opinor, si solummodo, quæ observatione scriptorum atque amicorum, cognita sunt facta, & quæ ipse observaverim, trado——Parcius auctores citavisse, mihi facile condonabitur; plurimos consului, præ cæteris Withering et Smith. Pauca, quæ non aliunde inveniri queant, proferre confiteor.

Scarlatinam ortum duxisse intra 180 annos opinio communis; sed quæ pagin. 14to. dicta sunt, et quæ hujus *lota.* cum cynanche maligna similitudinem indicant, verisimiliter eam ante hoc tempus visam argumento sunt. Cynanche maligna enim juxta sententiam multorum, Hippocrati bene cognita fuit: etsi alii credunt, non visam fuisse ante prioris seculi initium.

Phænomenis adeo diversis stipatur Scarlatina, ut in Nosologia Cl. Boissier de Sauvages ejus sex species enumeraverit. Cl. Cullen rectius duas esse contendit, scilicet, Scarlatinam simplicem et Scarlatinam cynanchicam. Simplex epidemica vix ulli præter Ill. Sydenham visa est. Raro occurrit. Leviores Cynanchicæ impetus pro Scarlatina simplici quibusdam medicis, minus accurate, aliquando habitos esse mihi videtur. Scarlatina simplex morbus maxime levis, et eam sublevando, nisi Regimine idoneo, ut plurimum nihilo opus est. Speciem solummodo hic tractandam existimavi, quæ a plerisque Scarlatinæ anginosæ nomen audit. Cl. Cullen Scarlatinam Cynanchicam, Huxhamius Febrem anginosam & Febrem scarlatinam, Schultzius purpuram epidemicam

malignam appellat. Mortonius, eam morbillorum speciem esse putans, morbillos confluentes vocat. Gallis dicitur Fievre rouge & Scarlatine angineuse—Anglis nominatur Scarlet Fever & Sore Throat. Apud nostrates nonnunquam nomen habet the Rash Fever vel Hives.

Nomen a Culleno impositum ejusque definitio nonnihil mutata, ad frequentiore[m] morbi aspectum clarius designandum, præ cæteris mihi arridet. Historiam morbi indicare has mutationes haud esse ineptas opinor.

“Scarlatina cynanchica. Pyrexia contagiosa, tonsillas et membranam faucium mucosam afficiens tumore, rubore, dolore et crustis mucosis, coloris albescentis, interdum cineritii, serpentibus et ulcera sæpe tegentibus. Deglutitio et spiratio difficiles, cum angustiae in faucibus sensu.”

“Tertio quartove plerumque die, facies aliquantum tumens, simul in cute passim rubor floridus, maculis amplis tandem coalescentibus, et post tres dies in squamulas furfuraceas abeuntibus, supervenientibus dein sæpe debilitatis variis symptomatibus, præcipue anasarca.”

Testantibus plerisque scriptoribus morbus maxime æstate & autumno grassatur. Culleno quidem auctore in Scotia plerumque incipiente hyeme apparuit, & per eam duravit. Huxhamius vero, Sauvagesius, Withering aliique plurimi vere finiente incipere, æstate & autumno perdurare & tunc cessare, testantur.

Cl. Smith, qui aeris temperiem ad morbos epidemici

eos producendos idoneam multis annis attente consideravit, huic favet sententiæ; temperiem cœli siccam longius durantem, an calida an frigida sit, cui succedit humida, eum aeris statum producere, quo morbi epidemici, ideoque etiam Scarlatina, maxime grassantur. Res ita se habuit quando Scarlatina Londini fuit anno 1786. Huxhamio testante sæpius temperie humida visa est. Morbo in urbe Birmingham anno 1778 sæviente, temperies cœli fuit ficcior, ut etiam hyems & ver quæ præcedebant. Tempestas ~~frigida~~ calidiori mox oborta morbi malignitatem auxit.

Infantes inter secundum & octavum annum, præcipue sexus sequioris, maxime infestantur; et ex illis ætatem adultam adeptis, potissimum sæminæ. Adulti imbecillioris corporis magis afficiuntur. Londini mediocris cives fortis maxime occupavit: pauperum magnatumque pauci infestabantur. Infantuli raro affliguntur. Homines loca inferiora, humida & arctiora habitantes magis morbo patent, quam qui locis siccis, excelsis, aereque perflatis degunt.

Nonne hæc, corporis imbecillitatem ad Scarlatinam prædisponere, testantur?

Tempus inter contagium receptum et morbum apparentem non semper idem est. Interdum videtur fuisse quatuor dierum spatium. In pluribus longius fuit; & nonnunquam in domo vel vestitu mansisse post sanatam familiam aliquot hebdomadas constat. Illos in quibus morbus se nondum ostendit, aliis communicare

7 calida frigidiori

posse existimatum est, ut etiam de aliis morbis contagiosis nonnullis, præsertim Rubeola: sed hæc res videtur esse maxime obscura.

Conspectum morbi clariorem, primum descriptio solitorum, deinde infrequentiorum symptomatum dabit.

Signa morbi accessum indicantia ut plurimum morborum febrilium adventum comitantur; sunt, pallor, facies mœsta, languor, lassitudo & horripilatio, cui succedunt caloris sensus: hos sequitur capitis dolor levis, molestiæ in faucibus sensus, earumque rubor & forsan tumor. Angustiæ in cervice & scapulis sensus percipitur. Pulsus nonnihil a statu naturali variat. Inquietudo, noctu potissimum, fastidium cibi & nausea succedunt. Ita res evadunt sæpe pluribus diebus, ubi, sæpissime etiam secundo die, nausea et vomitus ægrum afflictant. Vomitus hoc tempore fere semper adest, adeo ut morbi formati signum pathognomicum esse videatur. Tumor tonsillarum, doloris et angustiæ in faucibus sensus augentur; sæpe etiam molestia dolorque in deglutiendo sentitur. Fit secretio ex locis inflammatis, quæ muco albedo, viscido teguntur. Respiratio fit difficilis et brevis; suspiria crebra; pulsus frequens & plenior, maxime vespere; quo tempore quidem symptomata omnia evadunt pejora. Cutis est calida et sicca; dolores pungentes in pluribus corporis locis ægrum infestant. Sitis ut plurimum magna est; nausea vero obstat quo minus hæc bibendo levior reddatur: noctu inquietudo somnum impedit.

Tertio quartove die evidens tumor & rubor faciei apparent, quæ sensim totum corpus occupant. Corpus hoc tempore speciem habet, quasi vinum Oportense super illud effunderetur, aut, ut aliis placet, cancro cocto colore simillimum est. Pressione evanescit rubor, quæ remota statim redit. Cutis ut plurimum lævis est—Oculi rubent & inflammantur; delirium mentem sæpe occupat, cujus gradus oculorum inflammationi cœquatur; & nonnunquam adest coma. Tonsillæ maxime tument; rubor, & forsan aliquid tumoris, faucibus, palato linguæque insidet.

Linguæ depressio ad gutturis statum videndum plus doloris quam in aliis anginæ speciebus, ubi inflammatio etiam major fuisse videtur, afferre, dicitur.

Tribus diebus post eruptionem ad acmen venit; tunc rubor decrescere incipit—Eruptione declinante, videtur, faucium affectionem gradu auctam fuisse. Ulcera in pluribus earum locis formantur, quorum accessum crebrius ostendunt maculæ purpuracæ definitæ et sæpe crusta subalbida vel cineritia teguntur—Vocis magna mutatio sæpe evenit.

Die quinto, anginæ symptomata gradum summum attigerunt: species coccinea, aut ut vulgo dicitur Scarlatina fit subnigra, squamulæque furfuracæ formantur et decidunt: una cum his, aut paulo post, tota sæpe decedit epidermis, & ungues nonnunquam. Pulsus fit parvus, celer et debilis; urina parca est; & plurimum mucii ex membrana Schneideriana separatur, unde fit largus ex

oré & naribus fluxus, interdum cum sanguine coagulato: inferior nasi pars labiumque superius interdum inflammantur & excoriantur ob destillationem ex naribus.

Hoc tempore symptomata plerumque fiunt leviora, ulcera sanantur, tumores evanescent, & ægro sensim restituantur cibi appetentia & robur.

Sæpenumero autem, ubi nihil periculi esse nemo non censeret, id est, decimo vel etiam quinto decimo post febrem cessatam die, varia imbecillitatis signa, ægrum, nil tale suspicantem, pene obruunt: artuum rigor, pulsus celer, inquietudo, somnus turbatus, aliaque symptomata debilitatem irritationemque indicantia eveniunt, quibus non raro succedunt varia Hydropis genera.

Aere frigido, tussi sæpe comitatur; color eoccineus minus durans est; circa tempus morbi declensionis artus & facies nonnunquam vehementi dolore, & etiam tumore afficiuntur; arteriæ pulsus edunt duros & celeres, aliquando 130, vel etiam 140, spatio minuti; sanguis superficiem coriaceam ostendit; spiratio & deglutitio sunt difficiles; vomendi conatus dolentes; dolores cursum tubæ Eustachianæ sequentes, & glandularum parotidarum, mammariarum aliarumque partium tumores, quos haud raro sequuntur abscessus.

Hi ægri fere omnes sanitatem recuperaverunt, & hæc symptomata ex tempestate frigidiorum ortum duxisse verisimile est.

Infrequentior morbi forma nunc restat describenda.

In nonnullis, præsertim pueris, delirium interdum paucis post accessum horis evenit; cutis validum caloris sensum tactu ostendit; maculæ primo secundoque die erumpunt, & hi fato cedunt tertio. In aliis quarto quintove die, aut etiam antea fatuitas quædam mentem occupat: pulsus fit celer, debilis, nec servat modum, nonnunquam etiam vix potest percipi; calor febrilis extrema relinquit, & corporis superficies videtur ac si sanguis aqua mistus sub cutem effusus esset; cutis tactui arida & flaccida: lingua et os arent & nigrum colorem induunt; labia livida & fissa sunt; oculi quasi immobiles & orbitis immerfi apparent; fastidium cibi & spiratio difficilis his se accingunt.

His signis, æger infelix haud raro spatio 24. aut 36. horarum, auram vitalem carpere cessat. Interdum largo e naribus, auribus & ore materiæ subnigræ fluxu morbus morte aut debilitate mutatur. Ex hac debilitate haud facile emergit æger. Perfectæ aetatis hominibus febris maxima, delirium & alvi fluxus, paucis diebus, mortem inferunt.

In quibusdam, præcipue antea imbecillibus, ex qualibet causa, morbus undecim vel etiam plures dies durat; guttur paulam afficitur & febris typhodes est. Oculi æqualiter rubent & lucent; maculæ lividæ in multis corporis partibus videntur. Fiunt inquieti, & potum avidissime expetunt, quo dato ex ore effluere sinunt, aut etiam expuunt; & iterum ut bibant rogati, iras-

cuntur. Interdum nulla visa est eruptio ; sæpe autem, primis diebus apparet & regulis caret : maxima debilitas & ad pleraque corporis officia peragenda sensus imminutus.

Multi horum pereunt, & qui morte evadunt imbecilles maxime sunt, & a fatuis non multum discriminis habent. Hæc mentis & corporis imbecillitas tempore solum & cura rerum non naturalium tollitur.

Qui angina tantum laboraverant, paulo post, eruptione coccinea affecti sunt ; in aliis non visa est nisi post aliquos annos ; Contra, quos eruptio sola male habuit, angina vario temporis intervallo invasit.

Trismus accidit & fuit lethalis. Signior Brogiani Hydrophobiam symptomatam interdum observavit. Artuum paralyfis nonnunquam secuta est.

Vere & æstate anni 1787, ut etiam vere & incipiente æstate hujus anni, labii superioris tumor, aliquando etiam inferioris, ad genas & palpebras extendens, nonnunquam ophthalmia comitante subito orta, sæpius in hac urbe observatus est. Nonne hic a viro Scarlatinam gignente originem habet ? Annon hoc ex diversorum morborum varietate confirmatum esse videtur ? Hoc verisimile videtur cel. Professori nostro Rush, cujus mens acuta & capacissima humano generi plurimum boni attulit, et cui multum debeo.

Papularum species non semper eadem est : interdum Variolis simillimæ fuerunt ; alias, papulæ minutæ per totum corpus dispersæ fuere. Nonnunquam eruptio speciem miliaris albæ habuit, & papulæ incise ex aere epidermidem elevante esse ortæ videntur.

Materies Scarlatinam cynanchicam gignens, procul dubio est quædam sui generis contagio, corpori humano, interveniente aere, applicita. Ejus indolem prorsus ignoramus. An ex feminibus animatis, speciem multiplicandi potestatem habentibus constat, an ex fermentatione oritur, aut quid aliud sit, nos, maxime credendum est, semper latebit. Primo, illam guttur inflammare haud est dubium; ulcera, & aliæ gutturis affectiones, sunt sequelæ maxime naturales. An eruptio sit Cynanches symptoma, an ex viro corporis superficiæ applicito oriatur, non videtur magni esse momenti, neque dignum investigatione, etiamsi hoc obfirmatum esset. Hæc contagio se non longe extendit; in hoc simile est contagioni morbum gignenti a Cortesio Melitensi descriptum quem ipse anginam malignam vocat; a quo dicitur non impertiri nisi spiritu aut sectione corporum eo mortuorum. Morbum in hac urbe octodecim menses observavi, et in hoc tempore, mihi persuasum est, non plures quam 40 vel 50 domos occupasse. Hujus contagionis effectus, aut ut aliter dicam, morbi varietates ex habitu corporum eo afflictorum, ex cælo, & anni tempestate oriri videntur.

Morbos, a quibus Scarlatina cynanchica ægrius discerni potest, scriptores aiunt esse Rubeolam et cynanchen malignam—

A Rubeola nonnunquam haud facile discernitur Scarlatina. Plerisque de hac re scriptoribus videtur, hos morbos non posse non distingui: mihi multa sunt exempla cognita inter vulgus erroris maximi de hac re facti.

Cl. Smith dicit, ex mortuorum catalogis patere, 793 Rubeola obiisse Londini anno 1786, et testatur Rubeolam Londini eo anno vix esse visam. Medicus hujus urbis cujus experientia & judicium mihi satis cognita sunt, ingenue confessus est, nonnunquam se (aliquantisper) non posse dicere an æger Rubeola an Scarlatina laboraret.

Rubeolam palati tonsillarumque inflammatione stipitam esse constat. Tempus non est certum inter catarrhalia signa et papularum eruptionem, plerumque a primo ad decimum quartum diem. Scarlatinæ cynanchicæ ferme præcedunt solita Rubeolæ catarrhalia Symptomata, et interdum Peripneumonia comitatur. Tum maxime sagax et peritus medicus errare potest. Sed sæpissime, attente contemplando utriusque morbi signa diagnostica, discerni possunt. Catarrhi signa Rubeolæ eruptioni præcedentia, eorum absentia in Scarlatina cynanchica; angina Scarlatinam comitans, & ejus defectus in Rubeola, ut plurimum utrumque morbum ad amussim designant. Porro, alterius morbi epidemici frequentia utrumque indicat.

Casum sequentem adduco potissimum, ut eorum, per aliquod tempus, similitudo ostendatur.

Vigesimo secundo die Julii anno 1787 opem imploravit meam pater puellæ quinque annorum, qui dixit illam laborare morbo, quem appellavit the Hives. Erat spirandi difficultas & pulsus celer & plenus, corporis superficies tumida et rubra apparuit, et plurimis minu

tis papulis occupata fuit, quæ maximum pruritus excitabant. Aliquid molestiæ in inferiore gutturis parte perceptum fuit, tumor vero nullus; oculi fuerunt rubri & lachrymis pleni; tenuis e naribus effluxit mucus; adfuit etiam tussis sicca, frequens. Eruptio die priore se ostendit, et Febris 20mo die vespere. Pluribus diebus antea, Epiphora, Coryza, Tussisque sicca se ostendebant. Tartarus emeticus adhibitus fuit parvis dosibus ut vomitum excitaret et nauseam sustentaret. 23tio. Tartaro dato ægra vomuit & pluries soluta fuit alvus: unde omnia symptomata leviora facta; mistura oleaginosa ad Tussim præscripta est. Tartarus parva dosi adhibitus fuit. Febris adhuc mansit plurima. Die 24to eruptio decedere cœpit; corpus adhuc tumidum fuit; Febris levis; Tartarus omissus. Continuata fuit mistura. 25to. Cutis cœpit fieri subnigra; symptomata omnia levissima præter Coryzam. 26to. Coryza adhuc gravis; tussis minima. Squamulæ furfuraceæ corpore undique decidunt. 27mo. Coryza & Tussis minores. 28vo. Tussis & Coryza fere nulla; tumor adhuc in cruribus: hic parva mercurii dulcis dosi sublatus est, & paucis diebus ægra convalescere cœpit, aliquantula debilitate sola restante.

A nuperis scriptoribus sæpius agitatum est an Scarlatina cynanchica & cynanche maligna ex eodem contagio orientur: sed hujus contentions parvus fuit fructus, utcunque res sit, sæpe symptomata utriusque prorsus eadem sunt & medendi methodus nihil variat.

Cynanche maligna autumnis sæpissime apparet, præ-

fertim tempestate humida: Infantes præcipue invadit et mediæ ætatis homines imbecillioris & laxi corporis habitus, omnium vero maxime eos qui in depressis humidisque locis degunt; eruptio 2do, 3tio, 4tove die se ostendit, & aliis symptomatibus nihil levaminis affert; contra, sæpe paulo post crescunt symptomata. Signa interdum adsunt inflammatoria, & cum purgantibus adhibetur venæsectio; sæpius vero unumquodque signum debilitatem & putredinem demonstrat, & remediis ad has tollendas aptis, sanatur æger.

Hæc esse vera testes sunt de hac re scriptores, & præfertim Heredia, Severinus, Huxham, Fothergill & Johnstone; conferamus igitur hæc historiæ & medelis scarlatinæ in multis casibus, et verisimillimum erit, eos non omnino diversos esse morbos; & eorum diversitatem ad cælum, anni tempestatem, corporis habitum aut vitæ commoda varia referendam esse.

Sæpissime accidit ut maxima familiæ pars scarlatina mitissima laboraverit, & hic aut alter, omnia cynanches malignæ signa ostenderit.

Æque distingueremus variolas distinctas a confluentibus, aut morbillos diathesi inflammatoria aut putrida stipatos.

An morbo sanitate aut morte finis imponetur, ex signis statum inflammatorium, debilitatem aut putredinem indicantibus, judicandum est. Imbecillitatis, putredinisque signa maximum periculum secum habent. Hæc

enumerare maxime supervacaneum esset : videtur esse fatis, si ad hæc ut in morbi historia descriptæ sunt referamus ; & hoc facilius, quia morborum prognosis ut plurimum maxime est incerta.

Remedia aliis morbis epidemicis prævenientia hic frustra ad labem depellendam tentata sunt. Herba nicotiana, acetum, Camphora, Chincona & vinum nihil profuerunt. Rad. Rhæi in aliquot granorum dosi testante Smith interdum usui fuisse videtur : infectione evidenter recepta bonos præstitit effectus, quo vis morbi minuebatur. Alii narium orisque mucum sæpe evacuandum esse censent, & Emeticum adhibendum si contagium receptum esse constat ; operatione peracta, æger se lecto conferat, & serum lactis adjuncto spiritu cornu cervi bibat.

Remedia ad morbos depellendos, interdum hypothesebus potius quam ratione et experientia nituntur. Unde fit ut medici clarissimi etiam maxime contraria medicamenta eidem morbo adhibuerunt. Varia fuit Scarlatinæ curatio ; sed, quod humano generi felicissimum est, iste morbus sæpe extitit adeo levis, ut omnigena curatio æque profuerit. Veruntamen, sæpe etiam evenit, ut singula remedia cum maxima cautela adhibenda sint ; nonnunquam evacuatione largiori opus est : alias vero, hæc maxime lethales effectus produxit. Quæ legi, audivi & vidi, me certiores faciunt, quod methodus medendi varia esse debeat, prout Diathesis inflammatoria vel phlegmasia, debilitas aut putredo, se ostendant.

Diathese inflammatoria, aut potius magnis Inflammationis localis signis apparentibus, & sæpenumero pneumonia superveniente, detrahatur sanguis, & si res postulet, iterum atque iterum mittatur. Huxhamius & medici Edinenses sanguinis missionem plurimum profuisse testantur, & hoc remedio maxime nituntur. Summa vero cautela in hac adhibenda necessaria est. Withering ait, fere semper obfuisse, & signa, quæ ejus opem postulare videbantur, emeticis cessisse. In sanguine mittendo, tempestatem anni, corporis habitum, ægri consuetudines, ut & morbi naturam attente consideremus, necesse est. Si morbus in frigidioribus locis se ostenderit, aut si cœli temperies sit frigida, æger plenioris & robustioris corporis habitus, & sanguinis ad locum impulsi aut inflammationis localis signa adsint, venam tunderemus felicissimo cum eventu; & hoc ut repetatur, signa sæpe demonstrent; sed, si res aliter se habeant, a venæsectione sæpius abstinendum—raro sub hoc cœlo usurpatur.

Mox post sanguinem missum, maxime si adsit nausea, Emeticum exhibere profuerit; si sanguinem mittere haud est necesse, Emetico statim incipiendum; hoc repetatur per morbi cursum ut res postulent—Doses quæ nauseam excitent, febre sæviente, multum conferunt. Emetica stomachum evacuant, expectorationem & a faucibus evacuationem promovent, perspirationem augent & febris violentiam imminuunt. Rad. Ipecac. Tart. Emetic. aut Vinum antimonial. ut plurimum optima sunt; horum delectus ex consuetudine & corporis habitus ægri faciendus.

Purgantia leniora etiam profunt. In hac urbe mercurius dulcis sixies sublimatus, aut ut vulgo dicitur, Calomelas, etsi inter acriora plerumque referatur, sæpe optimo cum successu usurpatus est; quod faucium glandulas stimulet, ex eis secretionem augeat, & crustas tegentes removeat, potius quam ex alvi evacuatione; a nonnullis cum Emetico exhibetur. Huxhamius hujus in hoc morbo effectus minime ignoravit; etiam Anno 1734 illo usus est. Rad. Rhei adjuncto sale polychresto multum profuit, ut alvus die bis solveretur.

Opiata ad alvi fluxum cohibendum, ad tussim levandam, ad delirium nonnunquam tollendum, et Calomelæ si alvum nimis solvat, adjungendum, maxime sunt idonea.

Tonica, ubi imbecillitatis aut putredinis magnæ signa fuere, cito adhibenda sunt. Cortex chincona quibusdam dicitur nunquam profuisse. De Haen post sanguinem missum huic maxime fides est. Duo mihi sunt noti medici in Marylandia, qui plerumque hunc exhibent post adhibitum emeticum aut catharticum; & eis patet hoc modo præveniri imbecillitati huic morbo sæpenumero sequenti. Ægro debili, putredinis signis visis, ex analogia mihi putandum est, optimum præ cæteris esse remedium. Ore vel in clysteribus adhibeatur, aut æger in ejus decoctionem immittatur, prout res postulent.

Hic vinum mirandos præstitit effectus. Potus ex hordeo confectus Anglis Porter dictus, commodum hic se etiam præbet—His potibus usurpandis summam cautelam ha-

beamus necesse est; nam, si largiter adhibeantur, plus ægro sæpe nocere quam prodesse facile possunt.

Acido vitriolico a nonnullis maxime fidendum esse dicitur. Cl. Smith hoc usus est, & simul Rheo cum sale polychresto, ut supra dictum est.

Alkali volatile ægrum debilem plurimum juvit. Vesicatoria gutturi externo interdum usui fuerunt. Æstate nocuisse videntur—Inter scapulas profuisse dicuntur, ubi etiam eorum applicatio jugulo noxam attulerit——

Linimentum volatile jugulo illitum, multum levaminis ægro tulit.

Cucurbitularum applicatio cum cutis incisionibus, & hirudines interdum juvant; sæpius vero nihil boni præstant; & ægro debili etiam nocuerunt. Nunquam hæc sunt usurpanda nisi cum sanguinis missionem generalem adhibeamus.

Cataplasmata emollientia glandulis inflammatis applicata usui fuerunt.

Unguento mercuriali guttur externum interdum perfricatur ad ptyalismum levem excitandum, ubi desunt diathesis inflammatoriae aut phlegmasiae magnæ signa, prospero cum eventu.

An balneum tepidum proficit, an noceat, non constat —Aer fixus interdum profuit.——

Varii generis gargarizationes, ut plurimum conferunt.

Inflammationi foli, fatis erit hordeacea aqua in qua coctæ sunt fici, aut aliud gargarisma emolliens—Acidum vitriolicum bonos etiam producit effectus. Ulceribus formatis unguentum ægypticum, alumen, tinctura myrrhæ, aqua calcis, spiritus salinis marinis, spiritus vini, et calomelanos prospero cum effectu ex vehiculo quolibet commodo adhibeantur—et hic etiam mercuro corallino, sublimato, & vitriolo cæruleo, forsitan usui esse possent.

Vapor calidus spiritus, aceti & aquæ in os receptus multum profuit. Hic forsitan machina ad vaporem in fauces & pulmones recipiendum a Mudge inventa bono cum successu uteremur; & præcipue ubi catarrhi signa sese ostendunt.

Aeris temperies modica esse debet: æger foras non exeat dum eruptio in cute est; & nonnunquam per hoc tempus se lecto contineat necesse est.

Victus dirigatur secundum indolem morbi; si signa inflammationis se ostendant, ex vegetabilibus iisque refrigerantibus esse debet; si autem, imbecillitate æger laboret, his vegetabilibus adjungantur jura carniū, præsertim gelata, aliaque similia. Putredine apparente, jura acidula succo limonum fiant, & æger edat fructus maturos, acidiores.

Potus, succo limonum, aurantium, vel vino aqua diluito, variarum herbarum infusionibus, aut aqua frigida simplici, constare debet pro re nata.

Pro animo etiam solliciti esse debemus. Æger fit timidus, & anxius curis, sæpe ne minima quidem causa

data : tentanda via est qua spem fiduciamque concitare possimus.

A delirio cavendum est, amovendo ex ægri conspectu quæcunque hujus causæ esse possint, ut imagines, aulæa figurata, aliaque similia.

Ad præcavendam debilitatem quæ sæpissime hujus morbi sequela est, remediis corporis robur restituentibus, corporis motu, aere puro, & victu generosiore, mox post morbum cessatum utendum est.

De morbis qui hanc interdum sequuntur ægritudinem non est hic tractandi locus.

Ante finem huic dissertatiunculæ impositum, gratias viro spectatissimo Jacobo Hutchinson M. B. Societatis Philosophicæ Americanæ Socio, ex Curatoribus, et viro doctissimo Jacobo Davidson A. M. literarum humaniorum Professore in hacce Universitate, ob multa in me collata beneficia ago, et occasione oblata, gratum erga eos testandi animum gaudeo.

